



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ius Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus II. De Calumniatoribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](#)

104.

jure querendo, scilicet consecratione, ordinatione, vel possessionis apprehensione impediretur; sed insuper privaretur jure per confirmationem aliamve provisionem quæstio, sive titulo dignitatis, aut alterius beneficii jam obtenti, DD. cit.

Porro in dubio, an crimen ab excipiente civiliter vel criminaliter objectum, & in judicium deductum sit, id ci-

viliter objectum præsumitur; proindeque id criminaliter in judicium deductum afferenti probandi onus recte imponit Decianus cit. cap. 30. n. 4. quod contra se habeat Regulam de exceptione, natura suâ non ad vindictam, sed agentis intentionem excludendam tendente, c. Cum dis- lectus & l. Exceptio citt.



TITVLVS II.

De Calumniatoribus.

S U M M A R I U M.

1. Tribus modis accusatio temeraria evadit.
2. Calumnia alia Vera, alia Præsumpta est.
3. A presumpcta accusator aliquando liberatur;
4. Ut etiam non condemnetur in expensis;
5. Quas, si non excusat, refundit;
6. Et Talionis pénam, Canonico in quibusvis;
7. Civili Jure in Ordinariis criminibus incurrit.
8. Pena illa non usū passim sublata est;
9. Sed restituta à Pio V.
10. Et in variis Religionibus recepta.
11. Falsi pénis accusator per se non tenetur;
12. Insamis tamen fit, & irregularis;
13. Et beneficia privatus deportatur.
14. Pena Prævaricationis,
15. Et Tergiversationis.

Accusatio, denuntiatioque ad superiorem Rubricam declaratae aliquando temerariae atque, ut cetera delicta, si etiam ipsæ prenisi obnoxiae esse solent, & possunt tribus modis calumniandi, prævaricando, tergiversando, can. Si quem 8. §. Accusatorum, §. Prævaricator, 2. q. 3. & l. 1. §. 10 ff. ad S. C. Turpili.

Calumniari hōc locō & in Criminibus causis dicitur is, qui falsum crimen scienter ac dolō malō intendit, §§. cit. de qua intentione seu delatione falsi crimini, & deferentis dolo, sive delationem ab eo ex malitia sive alterum infamandi fludio factam, si certō vg. ex ipsius deferentis judiciali confessione, ex depositionibus testium, aliis probationibus legitime receptis constet, calumniator Verus: Præsumptus autem calumniator dicitur, si defecerit in delati criminis probatione, can. Calumniator 2. & can. Si non probaverit 3 q. cit. cum enim, qui aliquem in judicium vocat, paratas habere debeat probationes, l. Qui accusare 4. C. de Edendo, calum-

2.

D 3

calum-

calumniandi sive infamiam irrogandi animo litem movisse. Jure præsumitur, qui deficit in probatione criminis intentati, ut in c. fin. cum Glosa V. *Calumniandi ibi notant Panormit. n. 5. & Vivianus pr. qui tamen rectè monent, eam præsumptionem non esse Juris & de Jure; ac proinde adversus eam, sive innocentia, probationem admitti.*

3- Quare judex accusatorem, in delationis probatione deficientem, non proinus de calumnia condemnabit; sed admetet, discutietque, si accusator pro se allegat, probationes ac præsumptions, dolum seu calumniandi animum excludentes, c. fin. Imè ex officio etiam inquiret, quā mente ductus sit, an non justā aliquā causā ductus processerit ad falsi criminis delationem, & à calumnia impactae crimine excusat, l. 1. cit. §. 3. Menoch. de Arbitr. casu 321. n. 3. & Farinac. Prax. Criminal. q. 16. n. 4. sic enim, quantumvis à calumnia vera, ubi de ea comitat, accusatorem ullus color non excusat: à præsumpta tamen liberatur, & non dolosè & sine calumniandi animo falso sum crimen intentat, si præsumitur, si id fecit necessitate officii: si criminis indicia sufficiencia ad inquirendum, vel accusati infamia præcessit: si crimen semiplenè vg. per unum testem idoneum probavit: si accusavit deceptus à testibus, id, quod extra asseruerunt, in judicio negantibus, se scire: si illi mortui, vel procul absentes, vel à testimonio perhibendo impediti, aut probationes alia malitiösè sunt subtraētae: si uidem à testificando repulsi sunt propter antē non cognitam inhabilitatem: si doloris vg. ex parentis, filii, consanguinei &c. occisi morte concepti imminestate, vel inumanitate criminis vg. læsa Majestatis, hæresi, simoniæ ductus accusavit, Menoch. Farinac. l. cit. Clarus §. fin. q. 62. Guazinno Reor. defens. 3. cap. 13. à n. 11.

De poena calumniatoris, sicut magna diffensio est DD. sic communis sententia, eum, quem ad falsi criminis accusationem justā causā ductum esse, compertum est, non solum à Talione, sed injuriarum quoque actione pronuntiat immunem, quod in eo cesseret dolus & pravus animus: qui ubi abfuit, actioni injuriarum locus non est, l. Illud 3. §. fin. ff. & l. Si non convixij C. de Injurie, Covarruvias Lib. 1. Var. cap. 11. n. 6. & cit. Farinac. n. 67. Quin talē neque in expensis condemnandum, aliqui volunt: quibus facilè accedo, si causa, quā ductus ad accusandum processit, non à dolo tantum, sed à culpa quoque excusat. Non etiam, si ab ista non excusat; cum enim accusatio, qua culpā & temeritate non vacat, sit causa damni, litigant expensarum refectioni obnoxium reddet, l. Eum, quem temere 79. ff. de Judicis, Menoch. Consil. 145. n. 14. & Farinac. q. cit. n. 71.

Is verò, quem justa aliqua causa à dolo & calumniandi animo non excusat, Imprimis teneat ad expensarum refactionem & resarcitionem omnis damni, quod ex improba accusatione passus est accusatus; cum enim ad illarum & illius refectionem actor in Civilibus adstringatur, quando temerè, sive cum litigandi justam causam non haberet, judicium subivit, c. Finis §. de Dolo & l. Eum, quem temere 79. ff. de Judicis, ad eam multè magis tenebitur in Criminalibus, in quibus propter magnitudinem delictinis, cui accusatus objicitur, majori cautelâ judicium est subeundum, Felinus in c. I. n. 4. Clarus §. fin. q. 62. n. 4. Menoch. casu 321. n. 4. & Farinac. q. 16. 2n. 1 o. id extendens ad fiscum n. 14. & ad judicem quoque n. 25. ut, si quempiam per procuratores suos accusandō indebet vexasset fiscus, aut judex ad speciale minquitationem contra eum temere processisset, ad

sisset, ad expensarum & damni omnis refectionem sint condemnandi.

6. Deinde calumnioso accusatori de Jure Canonico pena Talionis sive similis illi, quam probato crimen accusatus subiisset, irroganda est, can. *Calumniator c. Quisquis 3. & can. Crimen 2. q. 8.* quibus textibus pena illa, nullò inter crimina aut calumniatores discriminè constitutò, ac proinde non vero tantùm, sed & præsumpto calumniatori est decreta. Unde accusatori ad eam penam inscriptio injuncta est, *L. Libellorum 3. §. 20. ff. c. Super his 16. & c. Qualiter 24. de Accusat.* licet, quando ad accusandum sine ista processit, de calumnia convictus ab illa non eximatur, ut cum Sylvestro *V. Accusat. n. 2.* & Armilla *V. Eodem, n. 3.* obseruat Pasterinus *Tribunal. Regular. q. 7. n. 28.* Ratio Talionis in eos decernendi gravissima fuit; ut accusatorum, in famam & fortunas vi tamque alienam perniciose graftant, temeritas refranaretur; cùm aquifissimum & Cicerone teste, nulla salus Reipublicæ major sit, quam illos, qui accusant, pertimescere, *Lib. de Divinatione.*

7. Jure Civili inter crimina proditum discrimen *l. 1. §. 2.* jundia *Glossa V. Calumniatoribus, ff. de S. C. Turpili.* & Talionis locus tantum est in Ordinariis, sive, ut Decianus *Tract. Criminal. Lib. 5. cap. 2.* loquitur, in iis criminibus, que certum titulum noménque & penam lege definitam habent, *l. fin. C. de Accusat.* *l. fin. C. de Calumna. & Autb. Sed novo, C. ad L. Jul. de Adult.* in Extraordinariis autē, sive iis, que certum criminis titulum noménque aut penam lege comprehensam non habent, & privatis criminibus falso intentatis pro eorum qualitate ac circumstantiis, accusatores arbitriā penam sunt plectandi, *l. Et in privatib. 3. ff. ad S. C. Turpili, Glossa cit.* & aliis DD. relatis Farinac.

cit. q. 16. n. 1.

Huic tamen etiam Civilis discriminis, & Canonici Juris prisco rigori consuetudine derogatum, & Talionis penam ad eamque inscriptionem à foro recessisse, Felinus in c. *Super his 16. n. 5.* Speculat, de *Accusat. §. 1. n. 4.* & apud *cit. Farinac. n. 3.* alii testantur. Ejus ita sublatæ rationem reddit Covarruvias *Lib. 2. Var. cap. 9. n. 1.* quod maximò Reipublicæ damnò cum tempore invaluerint crimina quod impunita manerent ob defectum accusationis, quam & criminum probandorum onus fugiebant homines mesu Talionis, cui se obnoxios redi posse, cernebant. Quod licet verum, & calumniatorum temeritas fere arbitriā penam coegeretur, à Pio tamen V. *Constitutione,* quæ incipit *Cum primū, 6. Calend. April. 1566. publicata, §. 14.* pena Talionis innovata est in calumniatores veros, sive eos, qui innocentem malitiosè accusasse vel denuntiāste fuerint convicti.

Neque obstat, quod eā *Constitutione simoniæ, blasphemiae, sodomiæ, & concubinatuæ criminis specialiter exprimantur;* quia à summo illo & Beatiissimo Pontifice, sicut illa, sic alia quoque crimina calumniosè impingentes Talionis penam subjectos, existimat Pasterinus *Tribunal. Regular. q. 7. n. 44.* quod verisimile non sit, illam ad quatuor expressa crimina restrictam; cum *n. 21.* Talionis *IO.* penam in variis Religionibus receptam usū: & ut de calumniosæ delatione convicti eā, quam accusatus erat subiturus, penam plecterentur, in FF. *Prædicatorum & Capucinorum Ordinibus specialibus Constitutionibus introductum,* perhuiisset.

Non solum Talione, sed falsi etiam penis de calumniosa accusatione convictum teneri, aliqui voluerunt apud Farinac, *q. 16. cit. n. 4.* quod tamen, aliis DD. re-

- DD. relatis ipse & Guazzinus cit. cap. 13.
n. 11. merito negant: nisi ultra calumnia
processisset, & vg. sub juramento
examinatus falsum deposuerit, vel pro-
duxisset testes falsos, aut falsis instrumen-
tis usus esset ad criminis maliciose impa-
cti probationem.
12. Præterea ad calumnia condemnatus
redditur infamia infamia Juris, can. Si quis
circa, 2. q. 3. l. 1. & l. Athletas 4. §. 4.
ff. de His, qui infam. not. ac proinde irregu-
laris; ut neque promoveri ad Ordines,
nec ministrare valeat in suscep-
tis, can. fin. diff. 51. & can. Infames, 6. q. 1. &
inhabitabilis ad dignitates & beneficia Ecclesias-
tistica obtinenda, e. Inter 11. de Excesso
Pralat. & Reg. Infamibus 87. in 6. Na-
varrus Manual. cap. 27. n. 204. & Suarez
de Censur. disp. 48. f. 2. n. 1.
13. Demum clericus, qui alium clericum
calumniosè accusasse convictus est, bene-
ficio & officio Ecclesiastico privatus &
verberibus castigatus, can. Quia juxta, f.
q. 6. deportari, sive in exilium mitti à
Gregorio Papa iussus est e. 1. Quæ pu-
blica verberationis pena, licet generali
consuetudine in clericos non usurpetur,
et telle Claro §. fin. q. 70. n. 3. beneficio ta-
men officioque Ecclesiastico privari, &
exilio etiam multari in calumniosa accu-
lationi pena à potestate Ecclesiastica
hodieque possunt, Barbola in c. 1. cit. n. 3.
& Diaz Practic. crimini Canon. cap. 37.
num. 1.
14. Prævaricari dicitur, qui vera crimi-
na abscondit, §. Accusatorum cit. sive,
qui cum accusato colludens obiter & in
speciem fungitur monere accusatoris,
criminis probationes veras dissimulando,
& falsas exceptiones admittendo, l. 1. §.
6. ff. ad S. C. Turpili. itaque tacite parres
fovet rei, publico judicio accusati, cuius se
adversarium simulavit, l. 1. ff. de Preva-
ricat. Cujus criminis causa condemnatus
- infamiam Juris, l. Athletas cit. §. fin. & l.
Si is 4. ff. de Prevaricat. Menech, de
Arbitr. casu 323. n. 8. ac proinde irregu-
laritatem contrahit, can. Infames, & Reg.
Infamibus cit. Thesaur. de Panis Ecclesi-
p. 2. V. Accusator, cap. 1. n. 3. & cap. 2. Præ-
terea pena extraordinaria, five arbitria
judicis, delicti qualitatem & circumstan-
tias ponderantis, punitur, cit. l. 1. & l.
Sciendum 2. ff. de Prevaricat. Panormita
ad hanc Rubric. & Menoch, l. cit. Qua
de re fermo redibit Tit. 22. n. 2.
- Tergiversari demum is, qui à publi- 15.
ci criminis accusatione semel instituta de-
sistit, can. Accusatorum cit. l. & §. 1. ff. ad
S. C. Turpili, citra abolitionem, quā ac-
cusatū à reorum numero eximitur, &
accusationis memoria aboletur, l. Si inter-
veniente 12. ff. Eodem. Cujus criminis reus
ex SC. to Turpil. pœnâ quinque librarium
auri, l. Prævaricationis 3. in fine, ff. de
Prevaricat. postea verò l. 1. C. Ut intra-
cert. temp. omnium bonorum quartâ
parte multatur: de eoque condemnatus
redditur infamia, l. Notariorum 2. C. eadem
Rubr. & l. Si is 4. ff. de Prevaricat. &
irregularis juxta ante dicta, Thesaurus V.
cit. cap. 3. qui tamen recte notat, hodie,
qua tempore receptum est, ut, accusatore
ab accusatione desistente, judex novò pro-
cessu instituto ex officio procedat, Clarus
§. fin. cit. q. 58. n. 3. tergiversationis, si
non ipsum crimen, saltem penam subla-
tam, ut etiam adverit Molina de J. & f.
tract. 3. diff. 47. n. 10. & tract. 4. diff. 9.
n. 11. Unde ex ea hodie nemo infamiam
contrahit, nec proinde nec irregularitatem;
cum ista imposita non reperiatur ipsi ter-
giversationis criminis: sed oriatur ex in-
famia, quam de illa condemnatus incur-
rit.

68 (o) 30

TITU-